



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CIV. Der Grafen Johann und Gerhard von Holstein Zollrolle für Hamburg
mit Beziehung auf die Unterthanen der Markgrafen von Brandenburg
(1254-1262).

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

tero existemus, immo ad omnem promotionem tocius commodi uestri pariter et honoris prouisi semper ac beniuoli uolumus inueniri. Datum Zpandowe, idus Martii, quinq; indictionis.

Aus Lappenberg's Hamburg. Urkundenbuche I, Nr. CDXCVI, S. 427.

III. Markgraf Otto von Brandenburg resignirt der Aebtissin zu Quedlingburg die Vogtei über Besitzungen in Balerleben und Dittfurth, am 23. Dezember 1262 (1261?)

Honorabili Domine sue, Quedelingburgensi Abbatisse, O., dei gracia Brandenburgensis Marchio, obsequium tam debitum quam sincerum. Aduocaciam quarti dimidii mansi in Balerfleue et vnus in Dittforde cum omni iure ad manus vestras et vtilitatem ecclesie vestre liberaliter resignamus. Ad maiorem Euidenciam presentes litteras duximus figillandas. Datum in Quedelinborg, Anno domini M^o. CC^o. LXII^o., sabbato ante Natiuitatem Domini.

Nach dem Originale des K. Geh. Kabinet's-Archives K. 489. Nr. 57. — In Erath Cod. dipl. Quedl. p. 217 befindet sich ein Abdruck dieses Documentes, was darin aber irrthümlich von Magdeburg datirt ist.

IV. Der Grafen Johann und Gerhard von Holstein Zollrolle für Hamburg mit Beziehung auf die Unterthanen der Markgrafen von Brandenburg (1254—1262).

Johannes et Gerardus, Dei gratia comites Holfatie, Stormarie, Wagrie et de Scowenborch, uniuersis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit, in salutis auctore gaudium cum salute. Quoniam intereuntibus hominibus ipsorum facta intereunt, necesse est, ut que a memoria hominum poterunt euagari, litterarum subscriptionibus fulciantur.

Nouerit igitur fidelis etas presentium et disceat fidelis successio futurorum, quod temporibus patris nostri, comitis Adolphi, quelibet nauis hospitem ueniens de mari dedit vnum fertonem ad theloneum. De lagena ceruicie III^{or} denarios. De choro tritici dimidium fertonem puri argenti. Et de filigine similiter. De ordeo III solidos. De auena II solidos ad vngeldum.

Postmodum cum iam dictus comes A. propositum habuit religionem intrandi, ordinatum fuit de consensu et arbitrio vniuersorum mercatorum uenientium de mari, quod quotienscumque aliqua nauis hospitem ueniret de mari, totiens dare deberet XXII denarios ad theloneum. De ceruicia uero fuit penitus relaxatum. Elegerunt enim dare de choro tritici II solidos ad vngeldum. De choro filiginis similiter. De choro ordei XVIII denarios. De auena ueneri (vero?) I solidum. De last allecium duos solidos.

Notandum etiam, quod mercatoribus marchionum de Brandenborch ex parte nostri specialiter est priuilegiatum ius ipsorum. Dant enim de last cupri III^{or} solidos ad vngeldum, de qua antea XIII solidos dederunt. De pacca linei panni III^{or} solidos, de qua

prius XIII solidos dederunt. De uase cinerum I solidum, de quo antea II solidos dederunt. De meysa wede, cum quo panni colorantur, XXI denarios: et antea dederunt de decem meysis vnam marcam argenti. De uase sagiminis allecis III solidos, de quo antea dederunt VIII. De uase sagiminis porcorum II solidos, de quo antea III solidos dederunt. De septem last stanni uel plumbi vnam marcam argenti dabunt, si ducunt ad mare. De last allecis II solidos, de quo antea III dederunt. De choró tritici uel filiginis II solidos, de quo antea III dederunt.

De omnibus iam bonis, si dederint vngeldum in Hamborch et ducunt in Flandriam uel in Angliam siue alias et comparant pannum de hiis, in reditu de ipso panno nichil dabunt.

Sciendum preterea si aliquis istorum mercatorum purum argentum siue anglicos denarios uel alias merces, de quibus vngeldum non dedit, ducit in Flandriam et comparat pannum de hiis, in reditu dabit de pacca illa XIII solidos ad vngeldum.

Notandum etiam, quod mercatores marchionis Mysnenfis et alii mercatores innumerabiles de longinquis partibus venientes olim dederunt vicestimam marcam ad vngeldum. Post hec autem iam dicti homines et domini archiepiscopi Maghedeburgensis mercatores et ducis de Brunefwic ac ducis Saxonie arbitrati sunt dare de last cupri I solidum ad theoloneum et vngeldum. De last stanni, de last eris, de last metalli specialiter solidum pro theoloneo et exactione. De uase vngenti solidum. De uase cynerum I solidum. De last allecis II solidos.

Sed ciues de Brunefwic dabunt ex speciali gracia de lasta allecis I solidum. De annona dabunt sicut ceteri supradicti mercatores ad vngeldum. Cum autem ueniunt de mari, dabunt de pacca lanei panni II solidos, de terlingo I solidum. De mefa wede XXI denarios ad vngeldum.

Item notum sit etiam omnibus, quod qualiscumque hospes ueniens Hamborgh et manens apud mare occidentale siue orientale, ueniens ascendere Albeam cum panno suo, dabit de pacca sua XIII solidos ad vngeldum. Et si habet tunnam cum mercibus, qualescumque sint, dabit de ipsa III denarios ad theoloneum. Et si habet puntswar, dabit de quolibet scippunt III denarios ad theoloneum.

Et sciendum, cum aliquis hospes primitus erit ciuis in Hamborgh, postea nichil dabit ad theoloneum et vngeldum.

Insuper sciat quiuis, si aliquis hospes negat de bonis suis, de quibus de iure tenetur dare vngeldum, iustitia exigente omnia bona amifit, de quibus furtiue negauit.

Quoniam superius dictum est de vngeldo et in parte de theoloneo, nunc specialiter dicendum est de theoloneo. Vnde sciendum, ut supradictum est, quod quotienscumque quolibet nauis hospitem ueniret in anno de mari, totiens dabit XXII denarios ad theoloneum. De cymba uenienti de Staden uel illuc uadenti, hospes habens in ipsa vnum scippunt ponderis uel dimidium, dabit de cymba VIII denarios. Insuper si habet in ipsa pelles, de quolibet genere pellium dabit de quolibet last III denarios. Et si duxerit tunnam cum mercibus, dabit de ipsa III denarios. De promptuario uenienti de superioribus partibus Albee

dabitur I solidus. De naui linguata I solidus. De naui habente limbos per omnia VIII denarios, de naui habente limbos ultra medium VIII denarios. De naui, que dicitur mankane, III denarios, de naui simplici III denarios.

Et quia dictum est de nauibus, post hec dicendum est de curribus. De curru uenienti de terra ducis Saxonie, apportante ligna quercina, dabuntur VIII et de uase cinerum III denarii. De curru eunti Odeflo datur I denarius. Et si est tunna superius cum mercibus, dabuntur de ipsa III denarii.

Item sciendum, quod homines marchionis de Brandenborgh habent speciale ius in theoloneo. Dant enim de plaustrata picis, quod ducunt ad mare, VIII denarios et de uase cinerum III denarios. De quolibet last cupri, quod ducunt ad mare, dant III denarios. De last stanni, de last ferri, de last cere specialiter III denarios ad theoloneum. De uase ungenti III denarios.

Habent etiam iam dicti mercatores specialem gratiam in theoloneo, quam nec homines marchionis Misnensis, nec episcopi Maghedeburgensis et ducis de Brunefwic ac ducis Saxonie non habent: hoc est, qualescumque merces emant in Hamborch ad reducendum ad partes suas, de illis nichil dant. Sed tantummodo de equis et bobus, vaccis et porcis et de allecibus et tunnibus dant, ut est supra dictum.

Item mercatores domini marchionis Misnensis et episcopi Maghedeburgensis et ducis de Brunefwic ac ducis Saxonie habent aliud ius in theoloneo. Dabunt enim de quolibet last plumbi VI denarios, quod ducunt ad partes suas. De uase vini, quod comparant in Hamborch, VIII denarios, de dimidio uase III denarios. Si uero minus fuerit, de quolibet Normannorum pondere III denarios persoluant. De laneis pannis, de lineo panno, de uario opere, de pipere, de cymino, de thure, de sulphure, de vini lapide, de amigthalis et aliis diuersis similibus, que ponderantur, de quolibet genere pellium, insuper qualescumque fiunt merces, de quolibet Normannorum pondere III denarios persoluant pro theoloneo. De centenario maioris ferri II denarios, de minori I denarium. De last cupri, de last stanni, de last eris, de last metalli, de last allecis, de uase ungenti, de uase cinerum, de uase picis, de last cere, specialiter de singulis III denarios dabunt. De equis et pecoribus dabunt sicut ceteri mercatores supradicti.

Item qualiscumque hospes, qui obligatus est dare theoloneum in Hamborch, emens in ciuitate cuprum uel stannum, ferrum uel ceram aut alia, que ponderantur, ad ducendum ad mare, dabit de quolibet last III denarios. De uase autem picis, de uase cinerum, de uase ungenti, de quolibet III denarios. De lignis, que kanenbloke dicuntur, III denarios.

Item omnis hospes de orientali mari ueniens, qui tenetur dare theoloneum et uolens transire in mare occidentale, dabit de quolibet last III denarios. De tunna uarii operis, de tunna sagiminis focarum, de tunna ungenti specialiter III denarios.

Insuper quilibet hospes ueniens de mari et uolens ascendere Albeam, habens puntswar, dabit de quolibet scippunt III denarios.

Preterea quicuis hospes, qui tenetur dare theoloneum, si ducit equum sine sella per ciuitatem Hamborch, dabit de ipso III denarios.

De aleuare recipitur secundum quod in gracia theolonarii potest haberi.

Scire etiam debet quilibet, quod si aliquis theoloneum furtiue uel negligenter deduxerit, soluet pro quolibet denario nouem. Et si querimonia proinde ad presentiam aduocati peruenerit, dabit pro excessu aduocato talentum, consulibus talentum et theolonario similiter.

Aus Landau's Mittheilung in Spilcker und Brönnenberg Vat. Archive 1837. S. 176 und Lappenberg's Hamb. Urkundenbuche S. 542. Nr. DCLXV.

CV. Auerweite Gräflich Schauenburgische Zollrolle für Hamburg mit Beziehung auf die Unterthanen der Markgrafen von Brandenburg.

Nouerint vniuersi presentem paginam inspecturi, quod temporibus comitis Adolphi quolibet nauis hospitem ueniens de mari dedit unum fertonem ad theloneum, et de lagena ceruicie III^{or} denarios: de choro tritici dimidium fertonem puri argenti: de filigine similiter: de choro ordei III solidos: de auena II solidos ad ungeldum.

Postmodum cum iam dictus comes A. intrauit ordinem fratrum minorum, ordinatum fuit de consensu et arbitrio vniuersorum mercatorum uenientium de mari, quod quocienscumque nauis hospitem ueniret de mari, totiens daret XXII denarios ad theloneum; de equo III denarios, de boue aut uacca II denarios, de porco I denarium. De ceruicia uero penitus fuit relaxatum. Arbitrati sunt etiam dare de choro tritici aut filiginis II solidos ad ungeldum, de choro ordei XVIII denarios, de choro auene I solidum, de last allecis II solidos.

Notandum etiam, quod mercatores marchionum de Brandenboreh quondam dederunt de last cupri XIII solidos, de pacca linei panni XIII solidos ad ungeldum: de uase cinerum II solidos. De decem mesis wede vnam marcam argenti dederunt, de uase sagimimis allecis VIII solidos, de uase ungenti porcorum III solidos. De septem last stanni uel plumbi unam marcam argenti dederunt et adhuc dabunt, si ducunt ad mare. De last allecis III solidos et VI denarios dederunt. De choro tritici uel filiginis III^{or} solidos dabunt.

Postea uero ordinatum fuit de iam dictis mercatoribus, cum uoluntate et arbitrio eorum, uidelicet ut darent de last cupri III solidos ad ungeldum, de pacca linei panni III solidos, de uase cinerum I solidum, de mesa wede XXI denarios, de uase sagimimis allecis III solidos, de uase ungenti porcorum II solidos, de septem last stanni uel plumbi dabunt, ut est suprascriptum. De last allecis II solidos, de choro tritici aut filiginis II solidos dabunt.

Et sciendum, si de omnibus hiis bonis suprascriptis dederint ungeldum in Hamboreh et ducuntur in Flandriam uel alias et comparant pannum, in reditu de ipso panno nichil dabunt. Si uero aliquis istorum mercatorum purum argentum uel anglicos denarios siue alias merces, de quibus ungeldum non dedit, secum in Flandriam duxerit et pannum de hiis comparauerit, in reditu dabit de pacca illa XIII solidos ad ungeldum.

Notandum est preterea, quod mercatores marchionis Misnensis et alii innumera-biles de longinquis partibus uenientes quondam dederunt ad ungeldum uicesimam marcam. Nunc autem dicti homines et domini archiepiscopi Magetheburgensis mercatores et